

Hermann Jacob Lasius

**Vltimam Qvaestionis Partem: Qvidnam Pretivm Aeqvum Sit Hodie Statvendvm
Argvmentis, Ex Miracvlis Et Vaticinationibvs, Qvae Sacris In Pandectis Relata
Legimvs, Petitis, Ac Logices Et Rationis Solivs Trvtina Pensatis, Ad Christianae
Religionis Veritatem Adseverandam, Disceptat**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1768?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004037554>

Druck Freier  Zugang




J. 512.
1768.
Mich.

T. 512.

1768. Michael.

~~M-1256. 389.~~



Est promissis standum, ideoque rem, cuius pertractationem in *programme Pentecostes sollemnibus dicato*, nondum finieram, iam pergam disquirere, & in primis examina- bo, *utrum logices & rationis solius trutina pensata miracula & vaticinationes, quorum est mentio facta in S. Scriptura, de huius & Christianae religionis veritate atque divina origine in animis nostris convictionem gignant certissimam, quae demonstrationis geometricae esse comes solet, an tantum persuasionem veri simillimam?* Nec haec materia eiusque disquisitio est diei festo, quem hodie agimus, aliena, quia multa prodigia ac oracula, s. *SCRIPTURA* teste, Angelorum ministerio edita dicuntur. Quin forsan lectorum fugit neminem, eruditorum quosdam genis tam bonis quam pravis vim ac facultatem, miracula patrandi, futuraque contingentia certo praedicendi, assignare.

Equidem mihi iam nec lubet nec vacat, hanc sententiam accurate examinare & expendere; illud tamen monebo, verendum esse, ne controversia, quae de illa intenditur, vanam in logomachiam abeat. Nam *miraculi* vocabulum est ambiguum diversaeque potestatis & significationis; hincque facile evenire potest, ut illi, qui genis vim, portenta patrandi, vindicant, huic



huic voci cum adversariis suis non eandem notionem iungant, ideoque contentio inter eos haud in rei, sed tantum in verbi controversia sit posita. Procul enim dubio Angeli ingenti non solum potentia sunt praediti, adeo ut inusitata efficere possint facinora, quae omnium mortalium vires excedunt quam longissime, atque naturae legibus, quantum eas noscere nobis datum est, repugnare videntur; sed etiam tanta mentis acie valent ac sagacitate, ut de futuris, hominum prudentissimo cuique incognitis, coniciant verissime. Quod si ergo illi, qui Angelis miraculorum vim ac dotem attribuunt, voce *miraculi* nil aliud, nisi quod modo dixi, denotare velint, haud errant, nec iis vere adversantur, qui isto saepius memorato vocabulo *factum sine interventu caussarum naturalium seu secundarum, solo DEO auctore, in mundo eveniens*, designantes, facultatem, id peragendi, geniis abiudicant.

Ast, uti supra monui, id iam non curo, nec hanc litem dirimo; sed potius sine mora ad disquisitionem, in praecedenti commentatione abruptam, rediens, *secundo* expendam, *num miracula & vaticinationes, quorum testimonia SACRIS in PANDECTIS exstant, si ad logices & rationis solius praecepta perpendantur, hodie nobis de religionis nostrae veritate eiusque divina origine evidentiam subministrant certissimam?*

Istis vero ostentis ac praedictionibus hoc robur hancque vim inesse, ingenue largior, si modo nobis constet certissime, illa vere fuisse patrata & edita, testimoniaque de his denunciata, nullam secum vehere dubitationem atque oppositi formidinem. Quia enim DEVS IPSE est miraculorum & vaticinationum auctor; perfectionibus suis, in primis summae benignitati, maximo veritatis studio ac sapientiae omnibus numeris absolutae omnino adversaretur, istis si operibus ab IPSO patratis, religionem falsam obsignasset, hominibusque in rebus tam gravibus, ex quibus istorum salus & felicitas aeterna penderet, consulto imponere voluisset. Causae ergo caput est, ut sciamus, an prodigia & oracula, SACRIS in PANDECTIS memoriae prodita, vere sint facta, atque, quoniam haec, nobis praesentibus, patrata & edita haud fuerunt, num testimo-



nia de iis in BIBLIIS exstantia, fidem mereantur certissimam, demonstrativam omnique exceptione maiorem? Παρηγορία vero lubentique animo nego, hanc fidem hodie a mortalium ullo ad tantum evidentiæ gradum evehi posse, *si ratione sibi relicta unice adiutus*, ante memorata testimonia ad logices præcepta perpendat. Id quod iam sum pluribus ostensurus & persecuturus.

Enim vero licet ad hanc meam sententiam probandam, meum esse ducam, quosdam scrupulos inferre, obstantes, quo minus hominum ratio sola de istorum testimoniorum veritate convictionem nanciscatur demonstrativam & inexpugnabilem; iure tamen postulo, ne quis me infelici nostræ religionis sanctissimæ hostium & *Naturalistarum* numero adscribat. Nam mihi iam non agitur de istius rei gravissimæ veritate, de qua, DEVM testor, nullus dubito; *sed tantum de convictionis gradu & robore, solius rationis ope ab homine hodie acquirendo, quem cognoscendi modum esse exploratissimum atque apodicticum* nego. Neutiquam ergo religionem nostram divinam in discrimen adducere, & SACRÆ SCRIPTURÆ auctoritatem occulte ac subdole cuniculis oppugnare, impie animum induxi; sed potius disputatio mea est mere logica, litigans tantum cum quibusdam Philosophis, qui nil nisi demonstrationes crepantes, methodo geometrica abutuntur, & sua argumenta supra rectum æquumque aestimant. Paucis ut dicam, tantum *επιχειρήματα παιδαγωγικα*, uti Theologi ea vocant, quibus nempe hominis, ratione rite utentis, sed adhuc a nostro divino cultu & Christianorum religione alieni, animus excitari possit, pretium iam statuere volo; neutiquam vero disputo de gravioribus argumentis pro divina SACRÆ SCRIPTURÆ origine militantibus, ex. gr. de interno SPIRITVS S. testimonio, quæ quippe huc non pertinent. Haec præmonuisse, sat esto, æqui ut lectores scopum mihi præfixum videant, iniqui autem haud subdola, religionique detrimentum minitantiæ, mihi adfingant consilia.

Iam ad rem ipsam accedamus. Quia testimonia de miraculis & vaticinationibus, nostram religionem huiusque divi-
nam



nam originem confirmantibus, in SACRAE SCRIPTURAE libris sunt consignata; nemo non videt, hominem, ratione sola duce utentem, fidemque suam tantum ad logices regulas conformantem, de illis certum reddi haud posse, nisi antea convincatur, I.) istos libros nec esse suppositicios, sed potius ab illis auctoribus, quibus a Christianis vindicantur, fuisse conscriptos, nec quoque interpolatos, & in locis, quibus nostra fides praesertim nititur, corruptos; II.) in istis libris sensum locorum, in quibus portenta patrata, & vaticinationes editae, narrantur, recte esse intellectum; III.) hos auctores esse testes locupletes, atque ob mentis dexteritatem & voluntatis candorem fide dignissimos. Haec sunt principia, quibus hominis, rationem solam sequentis magistram, convictio iis de rebus arduis & gravibus superstrui potest & debet, illaque perspiciat certissime, oportet, suo si in animo fidem excitare cupias exploratissimam, supraque omnem oppositi formidinem elatam. Enim vero haud probatu est difficile, horum trium principiorum nullum ope rationis sibi met relietae apodictico modo a nobis evinci ac demonstrari posse, ut ex iam dicendis patebit.

Nam quod ad primum horum principiorum attinet, libros nempe S. SCRIPTURAE nec esse suppositos, nec interpolatos, id quidem a pluribus viris, eruditione ac Critices scientia conspicuis, est egregie probatum, & ab adversariorum criminationibus vindicatum, adeo ut quilibet aequi verique amans, & artis criticae huiusque regularum non plane rudis lector, in argumentis ab istis viris prolatis acquiescere debeat; sed tamen haec supra maximam veri similitudinem haud adscendere, nec geometricam gignere demonstrationem, facile perspiciet, qui illa, omni partium studio posthabito, ad Logices praecepta exegerit a). Haec enim disquisitio est mere historica, dirimen-

da

- a) Ex multis, qui S. SCRIPTURAE Canonem ab adversariorum strophis defenderunt, et DIVINORVM VOLVMINVM integritatem vindicarunt, iam modo laudabo, S. R. NÖESSELT, Theologum Hallensem celeberrimum, qui sua in defensione veritatis et diuinitatis religionis Christianae, patri sermone conscripta, et MDCCLXVI edita, pag. 257 — 310, hanc rem egregie pertractavit. Quoque

A 3

b. CHRI-



da denuntiationibus fide dignorum testium, in primis veteris Ecclesiae antiqui et novi foederis, et librorum sacrorum, quam haec egit, cura accurata. Nec quoque nego, ex istis argumentis horum Voluminum integritatem tam dilucide patescere, et ad liquidum perduci, ut, hanc in dubium vocans, iisdem rationibus, quibus dubitatio sua nititur, in scholam et castra HARDVINI, *Iesuitae* stolidi, transire cogatur, qui fere omnia veteris aevi scripta istorum auctoribus abiudicans, ea ab impura fraudatorum cohorte, in ipsius vero tantum cerebro nidu-

b. CHRISTOPH. MATH. PFAFFIUS in capite I. dissertationis suae criticae de genuinis N. T. lectionibus, quae Amstelodami MDCCIX prodit, nec non EBERHARDVS HENRICVS DANIEL STOSCH, Reformatae Ecclesiae Theologus eruditionis fama inclutus, in commutatione historico-critica de librorum N. T. Canone, et in primis in dissertatione huic praemissa, de cura veteris Ecclesiae circa libros N. T., Francofurti ad Viadrum MDCCLV typis publici iuris facta, et illustris MICHAELIS in der Einleitung in die göttlichen Schriften des neuen Bundes. §. 84. seq. praesertim Deistarum rationes pro suppositione et corruptione librorum N. T. recensuerunt, et fortiter refutarunt. Equidem FRERET, qui Societatis Inscriptionum, Lutetiae Parisiorum florentis, fuit ab epistolis, quique est MDCCXLIX mortuus, authenticam Euangeliorum veritatem iterum in dubium vocare sustinuit, putans illam a Theologis ad debitum evidendiae gradum adhuc haud esse evectam. Obiectiones suas in capite primo libri cuiusdam Gallica lingua exarati, ac post Viri mortem praeterito anno MDCCCLXVII, editi, hacque inscriptione insigniti, Examen critique des Apologistes de la Religion Cbretienne, cum eruditis communicavit. Simulat quidem FRERET, qui Naturalistarum est mos vsu receptus, se nodos nexuisse, a Theologis nondum, uti par est, solutos; ast falso id adserit, nec ipsius contra authenticam Euangeliorum veritatem in memorato libro prolatae obiectiones tanti sunt momenti, erudito ut verique amantissimo Christiano fidem sacrorum Praeconum dubiam reddere possint. Duas adfert difficultates, quae, ut opinatur, obstant, quo minus iusta veri similitudine scire valeamus, Euangelia, Nono in Testamento exstantia, haud esse suppositicia: I) Multas Christianorum sectas statim in primo, a CHRISTO nato, saeculo illa negasse, falsisque arguisse; II) huius saeculi primi Patres ecclesiae et Viros apostolicos istorum non ullam suis in scriptis fecisse mentionem, licet saepius ad Euangelia apocrypha ceu genuina prouocent. Enim vero, uti iam monui, Theologi critici, qui de Canone
N. T.



nidulante, nove esse conficta, somniavit. b) Enim vero dubio procul in praedicandis his, s. SCRIPTURAE Canonis integritatem adferentibus, argumentis, nimius foret, qui iis esset demonstrativam vim et virtutem adsignaturus.

Idem iudico de secundo a me supra dicto requisito, videlicet, ut, quia ope solius rationis per miracula et vaticinationes, in SACRIS PANDECTIS memoriae prodita, de horum divina origine eupit evadere certissimus, antea indubitate scire debeat, locorum, haec prodigia et oracula commemorantium, sensum recte esse intellectum. Nam inter

N. T. scripserunt, interque alios, ii, quos supra laudavi, has difficultates non ignorarunt, sed istis potius responderunt. In programmate, Pentecostes huius anni sollempnibus dicato, desideravi librum, in quo omnia argumenta, quibus Theologorum veteres et recentiores, ad s. SCRIPTURAE veritatem ac diuinam originem demonstrandam, uti solent, accurate et ex vero examinarentur. Forsan quis, titulo deceptus, supra memoratum FRERETII *examen criticum* eiusmodi librum esse vtilissimum, putet; sed falleretur quam foedissime. Nam FRERET *Naturalistarum* partibus fauens, tanquam corruptus iudex, male iudicat, secundum illos semper litem dando, atque Christianorum argumentis grauissimis vllam vim et robur inesse, negando. Igitur ab omnibus probis *Vir iste male audit*, eiusque criminationibus iam hoc anno oppositus est liber, hac inscriptione insignitus: *la certitude des faits du Christianisme par Mr. Bergier D. theol. en Besancon*; qui tamen liber quoque ab omnibus naevis haud vacat; vid. *Goetting. gelehrte Anzeigen b. a. num. XXXIII*. In istam autem reprehensionem apud aequos non incurrisset FRERET, si tantum debiles rationes, quae Theologorum multis sunt in deliciis, statera sua pependisset, eorumque vanitatem dilucide ostendisset, id quod ab eo etiam interdum est factum egregie.

b) Istis conatibus delirantis HARDVINI portentosis plures Viri eruditione clarissimi strenue obuiam iuerunt, quorum indicem inuenies in *III. KLOTZII Vindiciis q. HORATHI FLACCI, Breae MDCCLXIV*. typis exscriptis, in quibus iis adsentitur, qui putant, sub istius *Iesuitae* ausu pestilens quoddam latuisse consilium. Quippe veri haud est dissimile, vtor *cel. KLOTZII* verbis, HARDVINVM ipsiusque socios, *Ignatianos nempe sodales*, hoc molitos esse, ut elearent sensum antiquitatis auctoritatem, paullatimque omnem historiarum monumentis fidem detraherent, atque hac via superstitionem confirmarent, stabilirentque oracula, ab iis edita atque edenda, ad quos religionis principatum pertinere arbitrantur.



ter omnes constat, scripturae cuiusdam sententiam exploratissima ratione perspicere posse neminem, nisi linguae genium, in qua liber est exaratus, singularum vocum, propositiones explicandas constituentium, potestates et notiones, illarum atque antecedentium ac sequentium contextum penitus et ita noscat, nulli ut dubitationi relinquatur locus. Praesertim quando est vaticinatio certo intelligenda, interpres demonstrat, necesse est, eam hanc nec aliam rem, tunc temporis adhuc futuram, cecinisse. Ingentes profecto difficultates, quae scripta, in antiqua et iam emortua lingua consignata, interpretaturos circumstant! Quid ergo mirum, quod sensum, in verbis latentem, fere nunquam interpres eruere possit certissime, sed potius probabilitate contentus, in hac acquiescat? Hae autem difficultates maiori augentur incremento, quando oracula sunt exponenda, quia illa fere semper sacro veluti velo ac verborum involucris obtegi solent. Lubens quidem largior, vaticinationes de MESSIA, quae DEI est gratia summa, in antiqui foederis voluminibus exstantes, et miraculorum testimonia, in libris praesertim N. T. denuntiata, tam clara esse et manifesta, ut aequus verique amans lector de illorum sensu ambigere iure haud possit ac debeat; sed tamen in isto investigando et eruendo, *εργμενως* facer methodum demonstrativam admodum raro adhibeat, ipsi auctor sum, sibi nisi aliisque imponere velit.

Restat, ut quoque examinemus, *num secundum rationis solidius et logices principia et canones dexteritate mentis et voluntatis sinceritate debita testes, qui de miraculis et vaticinationibus in BIBLIIS producuntur, ornatos fuisse, scire possimus certissime?* Dividamus sententiam, et primo de mentis habilitate, deinde de voluntatis candore disputemus. Qui autem animo suo miraculorum naturam perpendit, et quid ad testis locupletis acutam prudentemque intelligentiam requiratur, facile mihi accedet, nos vix ac ne vix quidem de eiusmodi testis sufficienti dexteritate ac experiundi peritia fieri posse certissimos. Nam miracula sunt, ut fugit neminem, facinora a DEO IPSo sine interventu caussarum naturalium in mundo patrata, et praesertim prodigia, SACRA IN SCRIPTURA denuntiata, facta esse, narran-

tur,



tur, ad divinam quorundam hominum missionem, atque ad veritatem ab his adsertorum, ad religionem DEIQUE cultum spectantium, obfignandam ac stabiliendam. Sin igitur spectator et testis facto cuidam praesens, quod statim probatum dabo, exploratissima ratione scire non possit, *de maximo probabilitatis gradu, quem neutiquam nego, iam sermo mihi haud est, utrum illius auctor, nullis causis naturalibus intervenientibus, SUMMVM sit NUMEN, et num ergo istud prodigiorum numero adscribi debeat; eo minus nos, rationem solam sequentes ducem, illius testis dexteritatem apertissime scire, eiusque effato ac testimonio fidem adiungere possumus certissimam, supraque omnem oppositi formidinem elatam.*

Ut autem id, quod modo adseveravi, demonstrarem, notas seu *κρίτηρια*, a Theologis et Philosophis data, quibus vera miracula agnosci, et a falsis atque a naturae eventibus discerni queunt, adducam: I.) *Veri nominis prodigium omnium ad mundum pertinentium rerum vires excedere debet, ita minimum, ut eiusmodi Φαινόμενον sub iisdem περιπτώσει seu circumstantiis, quae id comitantur, causae cuiusdam naturalis potentia effici haud potuerit. c) II.) Hominis alicuius ministerio facinus patratum, miraculum esse, iure censemus, illud si vires humanas omnium confessione superat, hincque homo veritates, quae ratione sana vel indubitata revelatione nituntur apertissime, docet, hisque adiungit sententias, quarum prioribus nec cohaerentiam nec repugnantiam cernere, mortalibus datum est, quae vero ad DEI gloriam eiusque cultum augendum, spectare videntur, et tandem adseverat, sed id facimus mirum solius NUMINIS virtute edidisse, ad his a se prolatis sententiis fidem et auctoritatem apud homines*

c) Haud vere contradico sententiae HOLLMANNI, Goettingensium Philosophi celeberrimi, qui sua in commentatione philosophica de miraculis, MDCCXXVII edita, pag. 15. seq. adserit, quaedam prodigia, in SACRA SCRIPTURA commemorata, non penitus omnes causas naturales superare, sed potius ab his proficisci potuisse. Nam et ego id infitias iturus non sum, si ostenta, ab HOLLMANNO cel. pag. cit. allata, in se spectentur; alii nego, quando omnium circumstantiarum, sub quibus cuenerunt, simul ratio habeatur. Alios s. NUMEN se sine causa grauisima, tanquam Deus ex machina, rebus mundanis immiscuisset, licet non nodus vindice dignus incidisset.

B



mines conciliandam. d) Iisdem characteribus quoque oracula, exitu comprobata, sunt diiudicanda, qui in miraculorum classem recte adscribuntur.

Et ego quidem has miraculorum verorum notas admitto, nullusque repudio; iam vero dispiciamus, num eius modi miri facti spectator illarum ope de prodigii veritate evadere queat certissimus?

Quod ergo ad horum canonum *primum* attinet, mortalium ulli, mea quidem sententia, tam felici esse, haud licet, illo ut utatur ratione exploratissima, eiusque ope vera ostenta a falsis sine omni errandi metu discernat. Nam qui id auderet facere, ille quoque omnes ad mundum pertinentes substantias, harum vires ac limites, quos excedere, iis haud datum est, accurate noscere, et in numerato habere deberet. Praesertim eius foret, omnes omnino genios, tam bonos quam pravos, in rerum universitate existentes, eorum potentiam huicque fines a DEO praescriptos explorate cognoscere et scire. Quisnam vero naturae indagator indefessus, omnem nisi pudorem posuerit, sibi scientiam tam copiosam tamque late patentem est arrogaturus? Quam timide potius et tantum ex veri similibus rationibus pronuntiabit iste, quando sententia est ferenda de miris rarisque *Φαινόμεναις*, utrum ea omnium rerum naturalium vires vincant, nec — ne?

Non quidem ignoro, quosdam esse viros doctos, putantes, nonnulla miracula, quorum mentio in *S. SCRIPTURA* fit, tam manifesta divinae originis indicia secum vehere, ut quilibet, sana ratione praeditus, sine accurata rerum naturalium cognitione scire possit, illa totius naturae vires excedere quam longissime. His praesertim annumerant, cum *IOSVAE* mandato sol et luna stetit, hincque universa caelestis sphaera a motu suo discessit; reuocatio in vitam mortui, qui iam in putredinem abiit, eamque odore foetido et gravi testatur; sanatio a natalibus caecorum et claudorum; solis defectio, quae tempore pleni-

d) Hunc veri prodigii characterem dilucide et vberius exposuit et demonstravit *HOLLMANNVS cel.* in supra a me laudata *commentatione de miraculis*, pag. 57. seq.



plenilunii accidit, cum CHRISTVS in crucem actus, animam suam PATRI redderet; et quoque alia his similia, quae brevitatis studiosus silentio praetero. e) Enim vero nec ego ab hac sententia abhorreo, sed isti potius accedo lubentissimus, si summo probabilitatis gradu contenti esse, hocque acquiescere velimus, quia eiusmodi actus creationis aemuli esse videntur, nec minime credendum est, spiritibus aliisque substantiis finitis DEVM tantum in rerum universitatem imperium concedere et largiri voluisse. Ast valde dubito, an mortalium unus ex rationis sibimet relictae principiis demonstrare valeat apertissime planissimeque, ante dicta *Φαινόμενα* omnium omnino causarum naturalium viribus esse maiora, hasque gravitate sua vincere.

Haec de primo verorum miraculorum *critério* sufficiant, et iam ad *secundum* examinandum, me accingo. Quo vero brevitati consulam, aliquas tantum sum subiecturus animadversiones, ex quibus, ut ego quidem opinor, patebit, ingentes obstare difficultates, quo minus ope *huius notae* miri cuiusdam facti spectator et testis praesens, *solanque rationem sequens magistram*, semper vera prodigia agnoscere, ac a spuriis discernere possit *certissime apertissimeque*.

I) Hoc *κρίτηριον* requirit, ut facinus, ab homine quodam patratum, vires humanas omnium confessione superet. Enim vero huius rei admodum raro esse possumus certissimi, quia nostra natura viresque animae et corporis nobis penitus perspectae ac exploratae haud sunt. Id quod multa testantur *Φαινόμενα* et facta, quae crucem figunt Medicis et Psychologis doctissimis atque experientissimis, docentque, diligentissimam esse cautionem adhibendam, paucis vero datam, quando facinora inusitata

e) Hanc timentur sententiam, praeter alios, HOLLMANNVS *cel. in commentatione saepius commemorata*, pag. 33. seq. et S. R. NOESSELT in sua *defensione veritatis et divinitatis religionis Christianae, germanice conscripta*, pag. 322. Mihi autem persuasum est, me istis cum *Viris doctissimis* hac de re vnum idemque sentire. Minimum horum *Prior. cit. loco* haud obscure indicavit, se thesin suam *supra maximam veri similitudinem* non evehere.



tata, et ab hominibus edita, diiudicari debeant. Nihilominus autem infitias haud ibo, SACRIS IN PANDECTIS memoriam quorundam operum extare, hominum ministerio factorum, quae omni dubio procul humanis viribus sunt maiora; ex gr. vere mortuum huic vitae sola voce restituere, surdum et claudum eodem adhibito remedio vel salua illico sanare, et quae his sunt similia. Sane haud copioso eruditionis apparatu et accurata humanae naturae notitia opus est, ut quis cognoscat certissime, ad eiusmodi opera conficienda, dicta remedia esse inhabilia.

II) Hoc secundum *κρίτηριον* postulat, ut homo, facinus mirum patrans, adseueret, suo ministerio *DEVM* id peragere, quo sententiis, a se in medium prolatis, quarum nec repugnantiam nec cohaerentiam cum veritatibus exploratissimis homines perspicere valent, quae vero *NVMINIS* gloriam cultumque augere videntur, fidem et auctoritatem apud homines conciliare possit. Omnino concedo, diuinis perfectionibus aduersari, quando *DEVS* esset permissurus, genius ut prauus, (nam boni id sponte sua non facient,) per sycophantam et fallacem hominem facinora edat mira, stuporemque incutientia, quae vero sycophanta iste *SVMMO NVMINI* adfingit, ad errores, qui pietatis speciem prae se ferunt, quorumque contra veritates, ad religionem spectantes ac exploratissimas, repugnantia mentis aciem, mortalibus insitam, fugit atque later, obsignandos, eosque hominibus instillandos. Nam non solum falsitatem, in eiusmodi erroribus latentem, mortalium ratio ingeniumque detegere et eruere haud posset, sed etiam opera, per genium malum ope *Plani* confecta, spectatoribus adsensum extorquerent. Homines ergo miseri tunc in errorem ineuitabilem grauissimumque inciderent, id si *DEVS* genio prauo eiusque ministro permisset, nec istorum conatibus perniciosus obstitisset, quod vero adserere, *SVMMO NVMINI* maximisque eius perfectionibus iniurium foret. Huius itaque causae caput est, ut sycophanta theses falsas, ad religionem spectantes, doceat, quae vero pietatis speciem et amorem mentiuntur, quarumque repugnantiam aduersus veritates certissimas mortalium acutissimus quisque

mentis



mentis suae acie perspicere haud valet, easque tandem factis, vires suas aperte superantibus, diabolo adiuuante, confirmet et stabiliat. Inde autem e contrario colligo, a summa DEI sanctitate minime alienum esse, quando ille eiusmodi mira facta, per genium impium patrata, non impedit, sin eduntur, ad falsas in religione propositiones confirmandas, quarum vero vanitatem hominum ratio, vel sibimet relicta, vel reuelatione collustrata, detegere potest. Id quod non solum cum principiis Theologiae naturalis, sed quoque cum clarissimis s. SCRIPTURAE effatis consentit amicissime, ex. gr. Deut. XIII, 1. sequent. Math. XXIV, 24. 2. Thess. II, 9. 10.

Quorsum tandem haec *Φιλοσοφήματα* exposuerim, forsitan quaeres lector? Scias ergo, me id fecisse, ex istis vt principiis conficerem, secundum verorum miraculorum *κοιτήριον*, supra laudatum, a nobis certissime adhiberi non posse, ita vt illius ope, rationem solam sequentes duces, sine omni oppositi formidine ostenta vera, quibus praesto sumus, a spuriis dignosceremus. Nam rationis humanae limites haud scimus accurate certissimeque, sed tantum veri similitudine quadam, nec euidencia demonstratiua respectu omnium rerum definire valeamus, quasnam res perspicere, illi datum sit. f) Ergo quoque vix ac ne vix quidem explorete et vltra probabilitatem sciemus, vtrum hominum ratio propositionis cuiusdam falsae, et ad religionem spectantis, vanitatem inuestigare possit, necne, et num ideo DEVS malum genium inhibere debuerit atque voluerit, ne is facinore inusitato hominibus fucum faciat, thesique falsae auctoritatem ac adsensum conciliet?

Ex omnibus his dictis tandem colligo, testem, miro cuiusdam facto praesentem, exploratissima ratione scire non posse, num istud sit prodigium; et quia sacrorum scriptorum plurimi de miraculis in BIBLIIS relatis eiusmodi testes sunt oculari, et

f) Materiam hanc pluribus persecutus sum in ephemeridibus hic loci MDCCLXVII. editis, quae inscribuntur: *vermischte mibrentheits historische gelehrte Abhandlungen*, pag. 284. seq.



et quia porro reliquorum, qui tantum auriti sunt, fides ab oculatorum auctoritate pendet, idem est de iis censendum. Ergo nemo non videt, nos hodie, *quando tantum ratione sibi met relicta utamur*, de testium sacrorum dexteritate haud posse esse certissimos.

Supereft, vt adhuc dispiciamus, num quis hodie, *rationem solam sequens*, modo dictorum testium candorem scire valeat *apertissime et planissime*? Huius quidem candoris causam, ingenue confiteor, multi viri doctissimi tam egregie egerunt, vt, mea quidem sententia, omnibus in foris iudex veri aequique amans fraudis crimine hos testes sacros esset absoluturus, litemque secundum eos, ceu integros et incorruptos, daturus; sed tamen vereor, vt rationes, ab istis viris prolatae, nobis hodie sufficiant, ad cognitionem huius sinceritatis acquirendam, *quae supra omnem oppositi formidinem foret elata*. Nam testis candor debet, vt omnibus constat, ex animi habitu, ex commodo et detrimento testimonii, ad ipsum amicosque redundantibus, et ex aliis *περισσότερι*, testem ad veritatis studium vel fraudem incitantibus, aestimari atque diiudicari. Quae vero rationes rarissime nos reddere possunt de testium sinceritate certissimos, quoniam mortalium animus altos habet recessus magnasque latebras, quas penitus indagare, summae est difficultatis, praesertim quando testes, de quorum integritate disceptamus, a nobis aevo nimis sunt remoti. Id quodque est in causa, cur aequus prudensque iudex plerumque ex rationibus tantum veri similibus sententiam de testium candore ferat.

Mihi iam videor, probatum dedisse, hodie neminem, *ratione sola utentem*, scire posse *certissime apertissimeque*, I) *libros*, in quibus testimonia de miraculis et vaticinationibus, nostram religionem huiusque diuinam originem confirmantibus, *consignata sunt*, haud esse *suppositicios nec interpolatos*, II) *sensum locorum*, in quibus haec testimonia leguntur, *recte esse intellectum*, et denique III) *horum testimoniorum auctores ob mentis dexteritatem et voluntatis candorem esse fide dignos*. Et quoniam haec sunt principia, quibus nostra de veritate Christianae religionis atque

S, SCRI-



S. SCRIPTURAE divina origine convictio, quando eam tantum ad praecepta rationis sibi relinquitur conformare velimus, nititur; sequitur, haec ut quoque convictio in summum evidētiaē gradum ac fastigium a nobis evehi haud possit, quod tamen, licet irrito successu, conantur, qui istis testimoniis demonstrandi vim adsignant *)

Ultima tandem quaestioni a me positae pars est adhuc disceptanda, num nimirum *miracula et vaticinationes, S. in SCRIPTURA memoriae prodita, in animo hominis, haec recte, et uti par est, expendentis, de veritate nostrae religionis persuasionem gignant veri simillimam?* Iam vero istis argumentis vim et virtutem inesse,

*) Praeter alios hanc tuetur sententiam *cel. DENYSE* in suo libro, cui est titulus: *la Verité de la Religion Chrétienne démontrée par ordre géométrique.* En *Viri* verba p. I — 4. legenda: 1) Nous ne savons que par la foi humaine les faits rapportés dans les histoires des tems passés: mais parmi ces faits y en a, qui ne sont pas moins incontestables, que les vérités géométriques, parce qu'ils sont fondés sur des maximes aussi claires et aussi certaines, que les axiomes de Geometrie. — — — Des faits historiques, dont la vérité est clairement et certainement connue, peuvent servir de principes infailibles, pour démontrer la vérité de plusieurs autres faits semblables, dont la certitude, par de iustes conséquences, peut être telle, que les plus incredules n'en puissent douter, pour peu qu'ils y fassent d'attention, et qu'ils aient de bonne foi. S'il se trouve dont, dans les actions de Iesus-Christ et des Apôtres quelque chose, qui puisse nous être connu avec autant de certitude, que nous en avons de l'existence d'une ville de Rome, il faudra le regarder comme certain avec tout ce qui en sera conclu par de iustes conséquences. Ainsi quoique la certitude du temoignage de ceux, par qui les Mysteres nous ont été révélés, dépende de la foi des histoires, cela n'empêche pas, que cette certitude puisse être entière et complète, être le principe d'une véritable démonstration, qui par conséquent est du ressort de la lumière naturelle, et sous cette considération de celui de la Philosophie. Et quoique la raison naturelle ne puisse démontrer directement les Mysteres, que la Religion Chrétienne nous enseigne, cela n'empêche pas, qu'elle ne puisse nous donner des démonstrations aussi certaines, que celles de la Geometrie, qui prouvent, que ceux, qui ont prêché et annoncé ces Mysteres, disoient la vérité, étoient des témoins dignes de foi, qui n'étoient ni trompés ni trompeurs, et par conséquent qu'il faut croire ces mystères tout incomprehensibles qu'ils sont. „



esse, probabiliter convincendi, exinde patet, quia supra probatum dedi, tam *Naturalistas* errare, qui haec ceu futilia nulliusque momenti reiiciunt et irrident, quam ista supra rectum verumque aestimari, iis si demonstrandi pondus adsignare velis. Medio ergo tutissimus ibis, attribuens saepius dictis argumentis veri similitudinem, te commoventem, ut s. SCRIPTURAE fidem adiungas tuam, inque Christianorum castra transeas. Equidem inde nondum conficitur, hanc probabilitatem, qua se prodigia et vaticinationes, in BIBLIIS relata, commendant, in summum ascendere gradum, seu morali evidentia gaudere; sed tamen ea in hoc veri similitudinis fastigium provehi posse, testantur libri, g) qui id ad liquidum perduxerunt, ad quos brevitatis studiosus provoco, quia mihi, et temporis et chartae angustiis excluso, haud iam vacat, hanc materiam digne uberiusque persequi.

Iam vero nil restat, nisi ut vos CIVES O. O. H. adhorter, ad hunc non solum diem festum pie agendum, sed genios quoque caelestes aemulandum. Tunc enim iam his in terris estis *ισάγγελοι* futuri, quin etiam, hoc vitae spatium emensi, cum isto beatissimo caelestium animorum coetu coniungemini.

- g) Prae aliis commendo *cel. DITTON* defensionem religionis christianae, et praesertim huius cedro digni libri partem tertiam. Etiam S. R. NOESSELT in suo saepius a me laudato libro id egregie exposuit, probatumque dedit. Quin DITTON in supra memorati libri parte secunda egregie docuit, mortalium mente sanorum esse, eiusmodi ut argumentis veri simillimis adquiescant, cumque, qui ista repudiat, surpiter in logices leges peccare.

P. P.

SVB RECTORIS SIGILLO
IN FESTO MICHAELIS.
MDCCLXVIII.






S. SCRIPTURAE divina origine convictio, quando ad praecepta rationis sibimet relictae conformare velimus quitur, haec ut quoque convictio in summum evidum ac fastigium a nobis evehi haud possit, quod irrito successu, conantur, qui istis testimoniis de vim assignant *)

Ultima tandem quaestionis a me positae par disceptanda, num nimirum miracula et vaticinationes PTVRA memoriae prodita, in animo hominis, haec res est, expendentis, de veritate nostrae religionis persuasio veri simillimam? Iam vero istis argumentis vim et

*) Praeter alios hanc tuetur sententiam cel. DENYSE in est titulus: *la Verité de la Religion Chrétienne démontrée par la Geometrie*. En Viri verba p. I — 4. legenda: I vons que par la foi humaine les faits rapportés dans les tems passés: mais parmi ces faits y en a, qui ne sont pas incontestables, que les verités géométriques, parce que sur des maximes aussi claires et aussi certaines, que la Geometrie. — — — Des faits historiques, de ceux qui sont si clairement et certainement connue, peuvent servir de preuves convaincantes, pour démontrer la verité de plusieurs autres faits dont la certitude, par de iustes consequences, peut être plus incrédules n'en puissent douter, pour peu qu'ils y soient attachés, et qu'ils aient de bonne foi. S'il se trouve des faits historiques de Iesus-Christ et des Apôtres quelque chose, qui ne soient pas connus avec autant de certitude, que nous en avons de la verité d'une ville de Rome, il faudra le regarder comme une conjecture qui en sera conclu par de iustes consequences. Ainsi la certitude du temoignage de ceux, par qui les Mysteres nous sont révélés, dépende de la foi des histoires, cela n'empêche pas que la certitude puisse être entière et complète, être le principal fondement de la démonstration, qui par consequent est du ressort de la raison naturelle, et sous cette consideration de celui de la Philosophie naturelle, quoique la raison naturelle ne puisse démontrer directement la verité, que la Religion Chrétienne nous enseigne, cela n'empêche pas qu'elle ne puisse nous donner des démonstrations aussi convaincantes que celles de la Geometrie, qui prouvent, que ceux, qui ont annoncé ces Mysteres, disoient la verité, étoient des hommes de bonne foi, qui n'étoient ni trompés ni trompeurs, et par conséquent il faut croire ces mysteres tout incompréhensibles qu'ils soient.



the scale towards document